

omnibus et de singulis in hac Sessione peractis, unum plurave conficiatis instrumenta.

Secretarii respondent :

Conficiemus.

Pastremo charitative monentur omnes ab Episcopo quod durante Synodo, honeste se habeant in omnibus, et extra ita quod eorum conversatio cæteris sit merito in exemplum. Quo facto, surgit Pontifex, et solemniter omnibus benedicit, dicens :

Sit nomen Domini benedictum, etc.

More consueto : quo dicto, discedunt omnes.

SESSIO SECUNDA.

Secunda die conveniunt iterum omnes in Ecclesia. Hac secunda die Synodi, mos est ut unus ex canonicis missam solemniter faciat *pro Defunctis*, cui Episcopus assistit ; eaque peracta, Stolum et Pluviale nigri coloris assumit, et consuetas orationes recitat pro Defunctis, post quas, vestes nigras in rubeas mutat, et accepto Pastoralis Baculo, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in foldistorio ante medium altaris genuflexus, deposita mitra, inchoat, schola prosequente, antiphonam :

Propitius esto peccatis nostris, Domine, nequando dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?

Finita antiphona et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.

PSALMUS 78.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli ; * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem ; * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris ; * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem ; * accendetur velut ignis solus tuus ?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.